

teat, in qua cetera legata ac pia ejusque generis onera adnotentur.

Datum Romae ex Secretaria Sacrae Congregationis Visitationis apostolicae die 20 Septembris 1851.

C. Card. Vicarius, Praeses.

Aloysius Fausti, Pro-Secretarius.

Petrus Amici Fiscalis  
et Commissarius.

(Correspond. de Rome 14. Octobris 1851 n. 79. pag. 383.)

*Ad dub.: 1.* An et ad quem vel quos spectet jus retinendi librum, in quo adnotantur Missae, Anniversaria aliaque opera pia in eadem Ecclesia fundata?

*2:* An a Rectore vel a Beneficiatis sit conficienda cartella, in qua adnotantur Missae singulis diebus aut hebdomadis celebrandae?

S. C. resp. ad 1: Spectare ad Rectorem;

ad 2: Esse conficiendam a Rectore. Die 12. Martii 1757.

Derthonen.

*Ad dub.: An* Sodales SS. Nom. Jesu debeant tenere librum peculiarem, in quo adnotetur adimplementum celebrationis Missarum cujusque Legati pii in casu?

S. C. C. resp.: Affirmative.

Die 26. Januarii 1760.

*Ex constit. FFr. Ord. B. V. M. de Monte Carmelo Prov. Castellae.*

Pius PP. VI.

Denique statuit admodum reverendum definitorium, quod in singulis conventibus infra terminum omnino sex mensium a die, in quo hujusmodi acta inibi recipiantur, computandum, efformentur tabellae missarum perpetuarum unicuique incumbentium cum expressione illarum, quae cum cantu

et quae sine sunt explendae, an ad designatum altare et statuto die cum reliquis circumstantiis et conditionibus cujuslibet foundationis. Hujusmodi autem tabellarum, duo affiguntur exempla, in cella priorali unum, in sacrario alterum injungendo, prout injungitur admodum reverendis, patribus provincialibus, ut in visitationibus curent, quod duae praedictae tabellae appensae continuo remaneant, et ab iis examinetur, utrum respondeat veris obligationibus cujuslibet conventus et satisfiat exacte omnino relatis missis, quarum numerus juxta tempus propriae foundationis imminuere debet illas, quae recipi possint et sunt explendae omnino infra terminum triginta dierum jam praescriptum pro missis manualibus, quae valent admitti. (Bull. r. Contin. t. VIII. pag. 167. Ed. Romae.)

Ut onera beneficiis adnexa dignosci possint, edantur oportet foundationis tabulae aut alia publica monumenta, quae fundatoris voluntatem certo demonstrent, ut *ad text. in cap. Porro de privileg.* firmant Garz. de benefic. part. 7. cap. 1. n. 22. et *Bened. XIV. de Synod. dioeces. lib. 13. cap. ult. §. 4.*

(Ex resol. S. C. C. diei 1793. *Civit. Plebis.*)

Leo XII.

Regulae pro Domo Lauretana. Subjicimus regulas a lauretana Congregatione propositas pro exacto omnium onerum missarum implemento, videlicet:

Rerum usus per plures jam annos satis superque docet, quam difficile sit, ne sacrificiorum numerus, quo lauretanum Sanctuarium in singulos annos tenetur, sive stata ea sint et perpetua sive adventitia, simul faciendae in aris vel sanctae domus vel basilicae, posthabitus et dilatus remaneat eorum incuria, quibus advigilandum est, ut

plane servetur quidquid hac super re provide identidem praescripserant lauretana Congregatio et praesules Laureti gubernio praefecti.

Ut igitur tam turpis amoveatur perturbatio et inordinata quaeque agendi ratio ac negligentia, utque etiam apprime constet, facta ea sacra fuisse, quae Christifidelium pietate a lauretano Sanctuario peragenda vel tempore ab iis praestituto vel in annum, neque ita protrahantur, ut ab eodem lauretano Sanctuario peragi nequaquam amplius possint, opus esse duximus aliquas digerere regulas ad illarum normam, quae bonae mem. Joannes Alliada dum viveret praesul edidit in sua visitatione apostolica Laureti anno millesimo octingentesimo quarto, quippe quae percommoda atque opportunae visae sunt ad amovendam quamcumque pravam consuetudinem, dilationem, perturbationem et negligentiam in missarum oneribus implendis, quibus Sanctuarium lauretanum pergravatur.

Quamobrem in duobus sacrariis, quorum alterum thesauri, alterum vero urceolorum nuncupatur, sint oportet quinque codices sive libri, quorum paginis cujusque mensis dies vertentis anni adscripti et antea cogniti et comprobati, a praesule sanctae domus lauretanae administratore, a quo etiam eorumdem librorum pagina quaelibet suo signo sit connotata, ut vertente anno neque ficta apponi neque vera subtrahi possit.

Horum autem librorum primus referet sacrorum onera, quae certa et perpetua, quaeque vel ex testamentis vel ex legatis vel aliunde proficiscuntur, quae tamen ad Canonicorum collegium et Capitulum lauretanum debent pertinere.

Alter sacra, quae in dies superveniunt seu adventitia.

Tertius sacrorum onera posthabita atque dilata.

Quartus capelliarum onera, quibus nonnulli lauretani Sacerdotes fruuntur sive eae sint liberae collationis sive ad s. lauretanam domum pertineant.

Quintus denique exhibebit sacerdotes, qui rem divinam faciunt semel dumtaxat in quolibet mense, propriae pietatis impulsu nullaque percepta elemosyna.

Cum apostolicae Constitutiones excommunicationis aliisque etiam corporis poenis indictis omnino vetent sacerdotem aliquem sacrum facere Laureti posse, nisi pro oneribus lauretani Sanctuarii aut capellaniae, qua fruitur, haud licet cuivis sacerdoti sacris operari pro oneribus generatim sacrae aedis aut sibi eligere aliam aram ab ea, quae nominatim pro onere locali constituta est aut facere potius sacrum emortuale, quam votivum deiparae Virginis. Qua de re debet ipse significare iis, qui sacrariis praesunt, num sacris operari intendat pro statis oneribus, quaeque ad ipsum pertinent vel pro capellania, qua fruitur; si secus enim sacrum facere debet ex mente et voluntate librorum custodum; quod si forte ille nolit, custodes sacras vestes ei denegare debebunt omnino.

Hac de causa aedituus thesauri et librorum custos sacrarii urceolorum sacerdotibus, quibus nec ex eorum parte neque ex capellania sacrum erit faciendum, significare omnino debent, qua mente, quaque in ara faciendum sit sacrum, eo semper servato ordine, ut primum pro sacris adventitiis eodem ipso die peragendis, deinde vero pro posthabitis et dilatis.

Libri, in quos relata sacra vel stata vel adventitia vel dilata vel ex capellaniis, adnotatum habeant necesse est ex parte quotidianum onus explendum, ex alia vero ordinationis, qui explevit, nomen; siquidem vetitum plane est, aliquem alium, praeter sacerdotem, ad quem pertinet satisfacere sacrorum

oneribus tam statis, aut ex parte, tum etiam ex capellaniis, posse pro sacerdote, quamvis impedito, id facere cum fixum statutumque sit cuilibet sacerdoti per se propria onera explenda, nisi forte peculiarem habeat aliter faciendi licentiam a praesule administratore.

Aeditui porro iidem curabunt, ut liber in quo adnotanda sacra a sacerdotibus ex eorum pietate peracta, quotidianas exhibeat rationes, in eoque adscribantur, uti supra dictum est, sacerdotes illi, qui significaverunt, se sacris operari ex eorum pietatis sensu absque eleemosynae perceptione, (servata tamen lege quod sit una tantum in mense) unde nosci quotidie possint eorum sacerdotum nomina.

Sacerdotes quotidie post sacrum notare debent eorum nomen in uno ex quinque jam commemoratis libris ex mente, quo sacris fuerunt operati, vetita omnino prava consuetudine, qua id fiat pluribus post diebus vel etiam exeunte mense aut aliud substituat nomen depravata manu. Erit autem tum aeditui tum librorum custodis lineam quotidie ducere, ubi nulla adest nota missae pridie illius diei celebratae et simul propria manu notare onus expletum; quisquis tamen praescriptae methodo non se accommodet, hoc ipso renuntiare ostendet juri percipiendae eleemosynae ex sacrificio confecto, sed non adnotato in libro, in quo debebat.

Si quid vero hisce in regulis delinquatur, cum impediat, quominus sacrorum onera suo quoque tempore persolvantur, idque certum exploratumque appareat, suspensionis poena, si semel, muneris etiam amotione, si iterum, plectetur aedituus et librorum custos, cujus conniventia aut incuria factum ut sacerdos violator suum nomen in his libris non adnotavit, praeter onus adimplendi quidquid male aut nullatenus expletum. Quod si sacerdos non servet has regulas, dissen-

tientibus aedituis, hi debent illico hac de re certiore facere praesulem administratorem, ut opportune provideat, ne incommodum latius maneat.

Sacrorum moderator curabit, ut ex sacris vel dilatis vel adventitiis supeditetur eleemosyna pro missis, quae quotidie celebrantur in valetudinario et orphanotrophio et in hospitibus regularium, cum adsint convalescentes, atque etiam festis diebus de praecepto in altare carcerum civitatis ipsius lauretanae, et simul rationes habeat de his omnibus, uti praescriptum de sacris faciendis in altaribus sanctae domus et basilicae, siquidem haec sacra loca tamquam ejusdem basilicae adnexa putantur.

Ut autem in diem pateat, quatenam sacra per annum dilata, iidem thesauri aedituus et librorum custos notare quotidie in libro debent dilatorum onerum, quatenam pridie faciendae ommissa, ex una quidem adventitia, ex alia vero parte stata ac perpetua, quo facilius expleri illa possint die liberiore. De his vero ratio habeatur cum collegio Canonicorum et Capitulo, a quibus erant explenda. Jam si eadem dilata sacra peragantur, praeter nomen a sacerdotibus appositum in libro dilatorum onerum, ut pateat ea jam expleta, aeditui iidem opportune id adnotare debent in linea codicis rationum quotidianarum nullo signato nomine, die aut mense superiore, unde dignoscatur tempus, quo onus fuerit expletum atque ita facilius trimestris fieri queat collatio, quae tertio quoque mense faciendae erit, ut infra dicitur.

Aeditui iidem ipsi et librorum custos majore quo fieri possit ordine ac diligentia habeant necesse est librum, in quo notetur quotidie ex parte sacerdotum nomen, qui sacris operati fuerunt in aris tum sanctae domus tum basilicae, ex alia vero regestrum, cui eorum nomen adscripserunt; et simul indicare sacerdotes, qui sacra fecerunt

in hospitibus et altaribus extra basilicam unde quotidie noscantur sacerdotes, qui rem divinam fecerunt, et qua mente.

Quoniam vero his duobus rationum libris opus omnino est, ut pateat, quatenam sanctuarii onera et qua mente a sacerdotibus quotidie fuerint expleta, si quid forte in iis perturbatum vel inordinatum reperiat, aeditui suspensionis atque etiam remotionis a munere poena omnino afficientur, uti pro re et tempore praesul administrator opportunum arbitrabitur.

Quod jam vetitum, idem ipsum et nunc plane vetatur, ne in utroque sacrario eleemosyna ulla adventitia pro sacris faciendis accipi unquam possit, quoniam pia largitiones omnes ad hanc rem debent praebere solummodo sanctae domus custodiae, a qua postea praescribendum erit implementum in libris sacrorum adventitorum, neque ferendus unquam quivis pravus usus hac super re forsitan invecus.

Cum ad sacrorum moderationis munus pertineat advigilare, ut quidquid hoc gravissimum negotium spectat, ex ordine et ex hisce praescriptionibus omnino procedat, ejus etiam muneris erit curae quotidie, ut iidem rationum libri exacti digesti reperiantur, quippe quod ipse praestare debet quidquid erratum aut actum fuerit contra hasce regulas, aequae ac aedituus et librorum custos iisdem propositis poenis subiciatur.

Ut autem Sacra Congregatio lauretana tertio quoque mense nosse plane queat, num exacte ejus praescripta serventur et simul num sanctuarii onerum quotidianae habeantur rationes, quo nova pro tempore praescribat, quibus quaelibet sacrorum dilatio impediatur, necesse omnino esse videtur, ut quarto quoque ineunte mense praesul administrator fidum sibi que probatum sacerdotem seligat, qui una cum sanctae domus ratiocinatore attente

diligenterque omnium rationum libros supra commemoratos disquirant et simul videant: Primo num tribus superioribus mensibus fuerint adamussim servata, quae sunt praescripta.

Secundo, notent, num quis sacerdos sacrum confecerit pro alienis oneribus.

Tertio, indicem extrahant illorum sacerdotum, qui ex eorum pietate sacrum fecerunt juxta praescriptam regulam apposita die.

Quarto, eorum etiam sacerdotum indicem conficiant, quorum nomina in libris inscripta non reperiantur diebus, quibus sacra peregerint.

Quinto cognoscant quatenam sacra peracta per tres menses, unde reddi ratio possit de dilatione, si qua esset, sacrorum, quae vel stata sint vel adventitia.

Sexto denique omnibus hisce libris eorum debent apponere nomen, ut probata ac confirmata maneat disquisitio facta trium superiorum mensium, neque perturbatio aliqua oriri in posterum possit.

Quidquid ex hac trimestrali investigatione collectum, ubi a praesule administratore cognitum et probatum fuerit, mitti debet ad Sacram Congregationem lauretanam, quae si ei opportunum videbitur, aliam hujusmodi investigationem vertente anno fieri jubebit, ex qua si quid in officio erratum appareat ab iis, quibus tantae rei advigilandi cura commissa, poterit etiam ipsos amovere a munere, quod exercent in rebus sanctae domus administrandis.

Datum Romae apud sanctum Petrum die 21. Septembris 1824.

(Bull. r. Contin. t. XVI. pag. 123. Ed. Romae.)

Tabellas facere probationem onerum Missarum tradit *Benedict. de Synod. lib. 13. cap. 25. num. 4.*

(Ex resol. S. C. C. diei 17. Septembris 1808. *Aretina.*)

- 4) Paramentorum, vasorum eccles. etc.  
Vd.: *Sacrista* (pro capella etc., de cr. *Pauli V.*)

### TABERNA.

- 1) In diebus festis.  
Ulixbonen.

In causa tabernariorum et tenderiorum civitatis Ulixbonen. Congregatio Sacrorum Rituum, inhaerendo moderationi constitutionis synodalis Archiepiscopi Ulixbonen. a collectore Portugalliae de mandato ejusdem Congregationis emanatae, Illmo D. Cardinali Millino referente, censuit: tabernarios et tenderios propter maximam populi frequentiam atque alienigenarum ex omnibus orbis partibus ad eam civitatem terra marique quotidie confluentium multitudinem, dominicis et aliis diebus festis etiam ante concionem et missae conventualis celebrationem omnia ad humanum vicium necessaria vendere posse, dummodo missae et concionis praedictae tempore officinas et tabernas hujusmodi earumque fores velamine aliquo contegant. Die 30. Martii 1621.

(Anal. J. P. 1863 p. 163.)

- 2) Visitatio Clericorum.

Tabernas ingredi non possunt clerici ad comedendum et bibendum, nisi in itinere aut causa necessitatis, cap.: *Non oportet 2.*, cap.: *Clerici 4.* dist. 43. Tabernas habere nullimode licet clericis, alias deponendi sunt, textu expresso in cap.: *Nulli Clerico 3.* dist. 44. ibi: „Nulli Clerico licet Tabernam aut ergasterium habere; si enim hujusmodi Tabernam ingredi prohibetur, quanto magis aliis ministrare in ea? Si quis vero tale quid fecerit aut cesset aut deponatur.

### TABERNACULUM.

- 1) Benedicens.

Vd.: *Benedictio* (delegatio, de cr. n. 4290.)

- 2) In Cathedralibus Eccles.

Vd.: *Ordinatio* (altare, de cr. *Giennen.*)

Tabernaculum SS. Sacramenti in Cathedralibus non debet esse in altari majori propter functiones pontificales, quae fiunt versis renibus ad altare, in parochialibus vero et regul. ecclesiis debet regulariter esse in altari majori tamquam digniori. S. C. Ep. 10. Febr. 1579; 29. Novb. 1594; S. R. C. 24. Nov. 1598. Vd.: *SS. Sacram. Euch.* (asservationis\* modus); *Bened. Episcopi* (in altari etc.); *Exposit. SS. Sacram.* (cor. Episcopo); *SS. Sacram. Euch.* (expos. in Pontifical.)

In Eccl. cath. propter functiones pontific., quae fiunt versis ad altare renibus, in peculiari extra chorum sacello, ornatissimo tamen, tabernaculum collocetur. Conc. prov. Prag. 23. Sept. 1860 t. 4. c. 4.; *Caerem. Ep. I. I. c. 12. n. 8.*; S. R. C. 14. Junii 1845.

- 3) Clavis.

Baren.

*Ad dub.*: An claves Baptisterii, sacri Tabernaculi et Olei sancti sint retinendae per Archipresbyterum seu potius per Sacristam ejusdem Ecclesiae et Capituli in casu?

S. C. resp.: Claves Baptisterii et olei s. retinendas esse penes Archipresbyterum, claves vero tabernaculi penes utrumque.

Die 28. Aug. 1756 et 3. Dec. 1757.

Vd.: *Coena Dom.* (clavis pro tab.)

Claves Tabernaculi nec relinqui debent in Sacristia nec a Laico servari sed a solo Sacerdote: S. Cong. Rit. 22. Febr. 1593. Immo ipsas retinere debet Parochus privative ad Sacristam et Capellanum. S. Congr. Concil. in Neapolitana 14. Novembris 1693.

Clavis Tabernaculi, ubi reponitur

Hostia consecrata in fer. 5. Coenae dominicae, non est danda Laico, quantumvis nobili: S. Congr. Rit. 30. Junii 1616.

Monialibus non committitur Clavis Tabernaculi ss. Sacramenti, sed penes eum sacerdotem semper esse debet, ad quem spectat cura illud administrandi: S. Congr. Concilii in Vallisletana 12. Januarii 1604.

- 4) Furtum SSmi e tabern.

Vd.: *Hostia* (furt.); *Pyxis* (furt.)

- 5) Genuflexio.

Vd.: *SS. Sacrament.* (genuff.); *Missa in altari* ubi est tabern.; *Genuflexio.*

- 6) Locus et Situs.

Altare ss. Sacramenti diversum esse solet ab altari majori et ab eo, in quo Episcopus vel alius est missam sol. celebraturus. Nam ss. Domini Nostri Jesu Christi Corpori, omnium Sacramentorum fonti, praecellentissimus omnium locus in Ecclesia convenit.

*Caer. Ep. I. I. c. XII. n. 8.*

Vd.: *SS. Sacram.* (Expos. in Pontif.; *Asservatio mod. non licit.*, de cr. diei 21. Aug. 1863.)

Quum sanctam Sedem non lateret, in nonnullis Belgii ecclesiis vel oratoriis Augustissimum Eucharistiae Sacramentum non in medio altaris, verum aut in dextera aut laeva pariete in custodia servari eodem modo, quo sacra Olea recondi solent, Sacra Congregatio legitimis protuendis Ritibus praeposita, quod attinet ad custodiam SSmi Sacramenti, Sanctitatis Suae nomine omnino prohibet, illud alio in loco servari praeter quam in tabernaculo in medio altaris posito.

Die 21. Augusti 1863.

*Ex decret. Conc. Prov. Colon. diei 17. Maji 1860.*

Tabernaculum seu scrinium pro

ss. Eucharistia asservanda sive in altari positum sive extra illud in turri sacramentali exstructum semper secundum Canones et S. Rituum Congregationis decreta sit comparatum, digne et pulchre ornatum et contra sacrilegam furum audaciam probe munitum. (Ibi cap. XXX. De ecclesiis et supellectilibus sacris.) Claves tabernaculi nunquam laico tradantur, nec permittatur, ut ab ullo, qui non sit saltem in subdiaconatus ordine constitutus, illud claudatur vel aperiat. Tabernaculum saepius sollicito inspiciatur, ut si quid pulveris vel immunditiei aspersum sit, auferatur et omne periculum irreverentiae amoveatur.

*Ex decret. Conc. Prov. Prag. die 23. Septembris 1860.*

De loco quo asservandum SSnum.

Cum Corpus Domini in uno tantum ejusdem ecclesiae loco ab Episcopo designando custodiri debeat, locus tabernaculi eligatur tum ratione totius sacrae structurae tum ad exhibendam tanto Sacramento venerationem aptissimus, omnino conspicuus et nobilissimus. Ideo servetur Ritualis Romani rubrica praecipiens, ut tabernaculum in altari majori utpote loco ecclesiae digniori vel alio, quod venerationi et cultui sacrae Eucharistiae commodius ac decentius videatur, sit collocatum, ita ut nullum aliis sacris functionibus aut ecclesiasticis officiis impedimentum afferatur. (Tit. V. c. V. De tabernaculo ss. Eucharistiae.)

Hinc in Ecclesiis cathedralibus propter functiones, quae fiunt versis ad altare renibus, in peculiari extra chorum sacello, ornatissimo tamen collocetur.

Confratribus Societatis Misericordiae non licet tabernaculum in eorum altari Oratorii. N. 1927 die 7. Septembris 1658; idem de cr. pro Confrat.